Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1023

Quelle:
Copyright:

De Virtutibus Eius Sapientiſſimi Regis Karoli Et Albini Magiſtri; et continuo additur: *Item Verſus Eiusdem De Arte Rethorica Incipiunt.* Haec litera quadra miniata, manuque Sec. XII. Tum Ogdoſtichon: *Qui rogo ciuiles cupiat* &c. et ipſum Opuſculum dialogicum hac inſcriptione quadra: *Incipit Liber Artis Rethorice Item Sub Interrogatione Karoli Imperatoris Et Reſponſione Albini Magiſtri.* Ejus initium: *Quia Te Venerande Magiſter Albine Deus Adduxit* &c. Ut edit. *Ratisb.* 1777. T. II. P. 4. p. 313. qua plenior videtur Codex, nam mox ſub initium poſt verba: *beſtiarum more uagabantur*, addit: *et ſibi uictu fero uitam propagabant*, et ad verba: *viribus corporis abutebatur*, jungit: *pernicioſiſſimis ſatellitibus.* Itaque totus conferri mereretur. Ad calcem illam totius Rhetoricae Συνοψιν pulcro Schemate orbiculari exhibet. Abſunt tamen Verſus in edit. ſubjecti.

V. *fol.* 70. p. 2. haec Traditio manu Sec. ſaltem XIII. temere adſcripta eſt. *Haimricus gruot. Dietmarus. Chunradus Scovber. Eberhardus in Tumſtadel. Dabunt de Salina per duos annos Mille et C. talenta denar. Que dabunt continuatim per menſes. In quolibet menſe XL. et VI. libras perſoluent. Annus inicium habebit in feſto S. Martini et finem. Montem aque bene colent. patellas* (aggeres, Wehren?) *et alia eius inſtrumenta bona uel meliora reddent. Ligna accipient in inferiori parte clauſtri. et in ſuperiori cum fuerit neceſſe. Judicium habebunt Scellinberch per omnia excepto ſi aliquis fuerit occiſus uel ſic uulneratus quod membrum habebit debilitatum. Domum habebunt eccleſie et pratum inferius. Sacerdotem ibi cantantem procurabunt. Salem dabunt nobis ad cibum et utilitatem eccleſie. ut ante eſt factum. Quolibet anno in ieiunio Sevmam* (onus equi clitellarii, Σαγμα, Soma, Sauma) *uini latini* (italici) *et C. XX. ſimulas* (nunc Semmel) *et piſces ad duas cenas dabunt.* Cum ad oram inferam *fol.* 22. legatur in Codice: *Liber ſancti Ny.* id eſt *Nicolai*, fortaſſe non incongrue Contractus iſte ad Canoniam *Nicolaitanam* O. S. Aug. prope *Paſſavium* a. circiter 1070. fundatam referatur, quamvis non habeatur *Vol. IV. Monum. Boicor.* Nomina inferta certe id non diſſuadent.

VI. *fol.* 71. *Incipit ut ſequitur ſaluſtius de geſtis cateline qui liber vocatur catelinarium Vnde catelina fuit ciuis romanus nobilis.* Inepta haec adlevit manus Sec. XV. cum Textus ipſe ſaltem XIII. ſit, et quidem admodum ſincerus; collatum enim Prooemium cum Recenſ. *Havercampiana Amſt.* 1742. 4. non niſi in ſequentibus abit: *auxilio eget* pro *veget. aliud alios ferre* pro *aliud alio ferri*, ignota *Havercampio* lectio, neque penitus ſpernenda τῳ *fero* adhibito pro *requiro, deſigno, intendo. Omnes arant* pro *homines. peregrinantes tranſiere* pro *tranſigere. ſcriptorem et actorem* pro *auctorem. invidia dictum* pro *dicta. ſi ſupra ea* pro *ſupra ea. adoleſcentulus in initio*